



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De secessu Christi ad orandum. Mar. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De secessu Christi ad orandum.

II.

Marc. I.

I. Iesus fessus pridie consolando & sanando in domo Simonis infirmos & energumenos, diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, & ibi orauit. En boni Pastoris & veri zelatoris animarum exemplum! Pius Dominus diem totum & bonam noctis partem rudes docendo, ægros sanando, afflictos iuando impenderat, reliquam insuper noctis partem pro ipsidem vigilat & orat, idque quanto zelo, quanto omnes ad sui imitationem prouocandi desiderio! Feruor in exercitijs deuotionis, & in ministerijs charitatis erga proximos.

II. Prosecutus Iesum Simon cū socijs, cū inuenisset eum, dixissetq; ei: omnes quarunt te: Eamus, inquit, in proximos vicos, & ciuitates, ut & ibi predicem, ad hoc enim veni.

Quàm feruenter optat zelosissimus animarum Sponsus suum nos zelum æmulari, & cum Sponsa nos inuicem ad quærendas lucrandasq; animas excitare: Egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas. *Cant. 7.*
Zelus laborandi in vinea Domini.

Ii 7

III. Et

III. *Et erat predicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa, & demonia eiciens.* En vt docet exemplo, ad quod inuitârat verbo, indefesso zelo vicos & vrbes circumcurfando, oues errantes quærendo, ignorantes docendo, afflictis opitulando! Zelus proximos omni ope iuandi.

III. *De tribus volentibus sequi Christum, reiectis. Matt. 8. Luc. 9.*

I. **V**olenti Christo transfretare, accedens vnus Scriba ait: *Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quanta dignatio Filij Dei, qui cum esset diues, tam pauper amore nostri voluit fieri! quanta gratia posse ac velle efficaciter nudum Iesum sequi? Estimatio & amor paupertatis, & gratiæ vocationis.

II. *Alius ait illi: Domine permittite mihi primum ire & sepelire patrem meum: Iesus autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quam verè pretiosa vocationis gratia, quæ nescit tarda molimina! Si eam quamprimum acceptare renuis, indignus ea censeris, nec te retardet erga parentes
pic-